

J. 958.

M A G Y A R
E N C Y C L O P Æ D I A.

Az az,

MINDEN IGAZ ES HASZNOS
Böltfességnek szép rendbe foglalá-
sa és Magyar nyelven világra bocsátása.

APATZAI TSERE JÁNOS
által.

SENEC. 64. EPIST.

*Et si omnia à veteribus inventa essent : hoc
tamen semper novum erit , usus & inven-
torum ab aliis scientia & dispositio.*

~~Handwritten scribbles in red ink across the Latin quote.~~



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ JOANNIS à WAES-
BERGE, clō la C LIII.

REVERENDISSIMO CLARIS-
SIMO NOBILISSIMOQUE VIRO,

D. GEORGIO TSULAI,
Ecclesiarum juxta Evangelium Reforma-
tarum per Transsylvaniam Inspectori pri-
mario, Districtus Albenfis Seniori vene-
randissimo, Ecclesiae Albâ-Julienfis Anti-
stiti vigilantissimo, Domino ac Patrono
meo munificentissimo, ac proinde quoad
vivam observandissimo.

NEC NON

EXCELLENTISSIMO CLA-
RISIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

D. JOHANNI HENRICO BI-
STERFELDIO, SS. Theologiae ac Phi-
losophiae in Illustri Schola Albenfi Profes-
sori acutissimo, olim Praeceptorum de me o-
ptime merito, Domino ac Fautori æter-
num colendo.

I T E M

ILLUSTRI SCHOLÆ ALBEN-
SI, fideli quondam studiorum meorum
Nutrici,

*Opella hæcce quantulacunque sit
dicata cum Autore esto.*

AD LECTOREM.

qui eadem de re scribunt an omnino diversa prodere debent? estne scapha vocanda scapha? an veritas non una & eadem? Quomodo quæso hi Avicennam, Paulum, Aëtium, Oribasium, plurimosque veteres Medicos doctissimos, si viverent, exciperent? qui verbotenus fere ex Galeno & veteribus aliis Medicis cuncta sua exscribunt. Potuissent sane doctissimi hi viri, si voluissent aliter: verum utilitati, non propriæ gloriæ, cuncta dedere. Annon omnes dogmatici ex oceano illo, Galeno, hauriunt? quid quæso quod ab aliis bene dicitur fere apud illum non deprehendas? Cur quæso aliis licet ab eo fonte haurire magis quam mihi? prodis inscitiam tuam, cum aput alios plurima quæ legis, existimas esse ab eorum ingenio, cum à Galeno & Hippocrate fluxerint: mox si aliis scriptis ea inserta vides, inde abducta putas: sane tuam imperitiam prodis, qui nunquam Galeni scripta perlustrasti: ut nescias hi & nos unde derivamus rivulos nostros, an quæso turpe imitari (inquit paulo post idem) ac optima quæque

P R Æ F A T I O

que in usum Reip. prode re commodi-
ore forma ac elegantia. Ista jam in hoc
opere (Explicatione scil. Aphorismo-
rum Hippocratis) ingressus sum gur-
gitem vastum, sperans à bonis viris pa-
trocinium, ne invidorum maledictis
obruar. Nam in studiosorum gratiam
atque utilitatem malui periculum de-
tractantium subire, quam fructu, si
quis est à D. O. M. per meos labores
paratus, eos defraudare. Velim qui hæc
ringunt, ac ita qui livent in aliena scri-
pta, tentare velint ut hæc meliora fa-
ciant: nulli enim ad gloriam clausa ja-
nua. Quare, annon, Lector amice tu
ita mecum? *Mome favere decet prodes-
se volentibus: ergo, Carpere vel noli nostra,
vel ede tua.* Hæc tam prolixè adducere
non sum veniâ tuâ pigritus B. L. cùm
quod nihil scopo meo convenientius
dici unquam potuisset, tum ut omni-
bus manifestum facerem viros Excel-
lentissimos quoque & suarum artium
peritissimos, non vereri plurima ab a-
liis matuare, atque hocce Majorum ex-
emplo tam illustri momorum, insuffi-
cientiam mihi exprobantium, conatus
irri-

AD LECTOREM

irritos redderem. Quum qui optimos
viæ duces eligit, modo eos sequi con-
stanter statuatur, minùs facîle in erro-
rem abducatur: infansque in humeris
gigantis situs, plus ipso gigante videatur.
Certò ergo sibi persuadeat Lector qui-
libet, quicumque nostra hæc inspicere
dignabitur, Maximorum doctrina-
que Clarissimorum virorum nihil hîc
desitui autoritate.

Restat jam ut usum etiam libri digi-
to præmonstrem: Quod quò melius
fieri queat, methodum & modum,
quem, si unquam discipulos habiturus
essem, observare anniterer, breviter de-
lineabo. Ante omnia darem operam,
ut discipulorum ingenia, inculta si ad-
huc essent, adsuescerent historia-
rum Biblicarum sacrarum, imò propa-
narum quoque utiliorum, linguâ hun-
garicâ lectioni & observationi, de lectis
eos accurate postea examinando & eas
ad usum vitæ humanæ transferendo.
postquam in iis se aliquamdiu exercu-
issent, progressusque mediocres fecis-
sent, transferrem tandem eos ad Hun-
garicâ hanc Encyclopædiam, quam non

* *

à prin-

P R Æ F A T I O

à principio legendam juberem, sed caput vel sectionem, in qua de rebus, capto facilioribus, puta ad Geographiam (utile esset heic globum vel tabulas in promptu habere) vel aliam illi facilitate haud dissimilem, pertinentibus agitur, iis inculcarem, quærendo diligenter ex iis: quot sint mundi plagæ? quæ regna jaceant ad orientem, quæ ad occidentem? &c. quot sint præcipuæ orbis partes? quæ in iis regna florentissima? Quænam maria, flumina, fontes, fluvii, lacus magis memorandi? qui montes in singulis regnis memorabiliores? &c. Hinc ad Physicam specialem ducerem, doctrinamque de metallis, herbis, & animalibus proponerem, examinando quid de hac bestia, metallo, herba &c. observâvit? Inde ad res ethicas, œconomicas, politicas dirigerem, interrogando iterum quid virtus? quæ ejus affectiones communes? quæ species? &c. quænam sunt officia parentum? quæ filiorum? totiusque familiæ? quid debet magistratus subditis? quid contra hi, istis? Postea ad Arithmeticam inde ad Geometriam & Phy-

AD LECTOREM.

Phyſicam generalem reducerem, tandem ad Metaphyſicam & Logicam, poſtremò vero ad omnia, quæ in præcedentibus omiſſa fuere. In quibus tamen omnibus caverem diligenter, ut quicquam memoriæ mandarent, niſi maxime generalia, ne memoriam exercentes, judicandi amitterent facultatem. Quum ergo diſcipulos omnium rerum ſuccinctam adeptos viderem cognitionem, de linguis cogitare pergerem, non neſcius multa adhuc ad omnibus numeris abſolutam perfectionem deſiderari, quæ ob materiæ amplitudinem ac libelli hujus brevitatem fuſè explicari ac deduci hîc non potuere. Ac proinde lecturæ & ſcripturæ Græcanicę (Græcam enim linguam ob meditates eaſque graviffimas cauſas omnibus peregrinis linguis præmittendam cenſeo) quali quali acquiſita facultate, declinationum ac conjugationum faciliores & magis regulares formas ſeu paradigmata, ex hoc eodem libro ediſci curarem. Nec in Grammatica ipſa ulterius fatigarem, verùm librum elegantiorẽ ex Novo Teſtamento, eumque histori-

P R Æ F A T I O

cum primò, tum dogmaticum (Euangelium putà Lucæ & Acta, Petri item Epistolas cum Pauli ad Romanos & Ephesios) illicò eis propria manu describenda darem, idque hoc ordine & modo: Quia ab Euangelio facerem initium, sex vel septem ex eo verlus describi curarem, eosque ipsi attentè auscultantibus clarè & distinctè prælegens, in hungaricum sermonem converterem, post horæ vero unius atque alterius intervallum ipsosmet vertere juberem, quo factò, lectâ eâ, quæ græca continet, paginâ, versionem hungaricam græce iterum reddere, mandarem, hoc modo eundo per totum librum imò & reliquos jam nominatos. Nam qui intelligit, quod exprimere nequit, à mutâ statuâ quid differt? dare autem sine mente sonos psittacorum est. Postea ne quid ad linguæ hujus perfectionem desideraretur in Hesiodo, Homero, & quibusdam Demosthenis & Isocratis Orationibus Epistolisque (quibus addi possent non incommode Grotii excerpta ex comædiis & tragædiis veterum Græcorum) idem facere alla-

bora-

AD LECTOREM.

borarem. His profundiorẽ Grammaticæ Græcæ cognitionem stylique exercitia, id est, Epistolarum carminum & orationum compositionem subjungerem. Ab hac protenus ad linguam latinam transirem, ubi quoque eadem observata methodo & modo, Sulpitii Severi historiam sacram primò, tum selectas Ciceronis epistolas, aut verò aureum ipsius de officiis librum, & orationes quasdam, tertio Virgilium, Horatium & Terentium cum selectis Ovidii libris, proponerem. At verò in his omnibus sic versarer ut cum linguis rerum etiam cresceret cognitio, & ubi res ferret, ex nuper perceptis, falsæ autorum opiniones perstringerentur. A Græcis porro & Latinis discipulos ad Hebræam manuducerem, ibidemque eandem prorsus insisterem viam, ac proinde primò Genesin aut Samuelis libros, tum Esaiã, postea Psalteriũ tandẽ Proverbia, postremò Jobum discendũ ipsis darẽ, quibus immediate subnecterem epistolas & poëmata Rabbiorum. Sed antequam è finibus linguæ Hebrææ pedes efferre eos sinerem, efficerem ne

P R Æ F A T I O

linguæ Chaldaicæ , Syriacæ & Talmudicæ prorsus imperiti inde discederent, sicque tandem in Arabiam eos introducerem. In qua quum Alcoran Muhammedis & Historia Tamerlanis utramque (quod ajunt) efficiant paginam , omnem in id moverem lapidem, ut ex duobus hisce libris linguæ Arabicæ sufficiens cōpararetur cognitio. Atq; sic quatuor hisce linguis contentus, de reliquis securos eos esse juberem, quum universæ aliæ si quid boni habent ex his ceu perenni fonte suos derivent rivulos. Sed antequam discipulum valedicturientem , prorsus dimitterem, ultimumque (ut loquuntur) illi Vale dicerem , indicarem præter jam dictos, quinam in singulis hisce linguis maxime legendi essent autores & denique quomodo. Ex Græcis igitur meo quidem judicio legerentur (si haberi possent) Origenes, Chrysostomus, Basilus, Eusebius, Josephus, Plato, Aristoteles, Plotinus, Theophrastus, Plutarchus, Herodotus, Thucydides &c. Ex Latinis Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Cicero, Plinius, &c. Ex Hebræis

Aben

AD LECTOREM.

Aben Ezra, R. Meir, Talmud utrumq;. Ex Arabibus Avicenna, R. Moses, Averroës, Algazel, Sharestanius &c. Si vero jam nominati, haberi nequeant, utendum iis qui magis in promptu erunt. Autoribus in hunc modum commendatis, modum quoque majore cum fructu eos legendi discipulum edocerem, suaderem nempe ut librum in folio vel in quarto (ut vocant) foliorum numero Encyclopædiam nostram æquantem sibi compararet, atque pagine cuius numerum in Encyclopædiæ folio contentum successive majori characterẽ pictum adscribat, eique titulum, de quo ea pagina agitur, subjungat, hoc modo: FOL. I. DE PRINCIPIIS PHILOSOPHANDI. FOL. II. DE MODO PROBANDI EXISTENTIAM ANIMÆ NOSTRÆ ET DEI, & sic deinceps usque ad finem libri, quo peracto, libros quibus in opere hoc concinnando usus sum, ante omnia arripiat, ac quæ hic desiderari ipsi videbuntur ex iis suppleat, aut saltem paginam in qua ad hunc titulum pertinens quid conti-

P R Æ F A T I O

tur diligenter annotet. Artium vero scriptoribus evolutis ad reliquos se cōferat. v. g. Si primi libri Moſis initium à me legeretur, totum primum caput ad titulum DE CREATIONE referrem, ſi non aliter ſaltem caput cum verſuum numero adſignans, verba tamen & phraſes, præcipue quarum meminſſe velis, notanda omnino ſunt. Sic in ſecundo cap. verſus, quibus conjugium Adami & Evæ deſcribitur ad locum DE MATRIMONIO referēdi ſunt. Ad hunc modum, ubi in Platone legerem Perſarum conſuetudinem fuiſſe ut qui in ſpem regni aleretur, Sapientiſſimo, Juſtiſſimo, Fortiſſimo & Temperatiſſimo omnium qui in uni-verſa Perſia reperiretur, traderetur educandus, referrem hoc ad locum DE PRINCIPE vel REGE. Notandum tamen eſt alium quoque ſupereſſe Locos communes adornandi modum, e. c. Principio Homericæ οδυσείας in margine ſcribendū PRUDENTIA, ubi ait, Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσσι πολύτροπον. Ulyſſem poëta commendat quod multa viderit à bello Trojano. Paulum in-
fra

AD LECTOREM.

fra *ÆTHIOPIA*, è regione *Αἰθιοπία*. *Æthiopes* procul abesse à græcia scribit &c. In hunc modum utile fuerit locos communes in Homero atque aliis autoribus depingere. Tandem ne quidpiam de esset, sermonem, hâc, ex meo Fortio, parænesi concluderem: Ante omnia summum tibi scopum præfige, nisi prorsus effœminato sis animo. Nec te moveat scripsisse quosdam nihil sibi esse magis in votis, quam ut vel umbram *Ciceronis* adsequantur. Ne tibi adscripseris vetusta stemmata, aut à majoribus partam laudem, pulchrius erit decus, cujus autor ipse, quam cujus hæres fueris. Animadvertite nihil interesse inter eos, qui nunquam nati sunt, & eos, qui nulla re memorabili gesta obscuri ex hac vita migrarunt. Nihil ames, nisi laborem: luxum, & fabulas fugito. Semper quære occasionem audiendi, docendi, scribendi. Evitanda lectio solitaria, tempusque omne exercitio impediendum. Non verear adfirmare tanto quosque esse doctiores, quanto crebrius docuerint.

P R Æ F A T I O

Quapropter σοφίαν apud Poëtam dicere reor: Usus me genuit, mater peperit memoria. Dum audimus, vigilantissimo sumus animo. Quum docemus, fugienda ostentatio, & vanitas illorum, qui horæ intervallo vix decem verba proferunt, adeo lente rem aggrediuntur, adeo sese ad laborem componunt, captantes auctoritatem. Omnis ipsorum cogitatio est, ut habeantur in pretio, ut docti à vulgo censeantur. Illi ad summa pervenient unquam? Impetus, impetus mihi placet, cum in rebus omnibus, tum in docendo. Quod enim agricolis messis est, hoc tempus istud, si fructum spectes, eruditis: ubi obsecro quis non moram damnaverit? Nostris potius viribus nitamur: ac horas illas, quæ infeliciter aliis pereunt assentatione, seu conciliando favore hominum, impendamus literis. Sapiens animi magnitudo veram laudem in factis positam, non in vaga fama judicat: principemque se esse mavult, quam videri. Tametsi nonnunquam inter legendum animus lassus aut labore, aut cogitatione perpetua languescit, laboran-

AD LECTOREM.

randum tamen , quoad spiritus ullus in corpore fuerit reliquus : à morte licebit quiescere. Nusquam umbra , semper lux , & hominum cœtus placeant. Dii boni , quantus intra brevissimum tempus evaderet ille , qui nullam diei intermitteret horam , qua non aliquid vel audiret , vel doceret , vel scriberet. si fieri potest docendi magis , quam audiendi occasionem captabimus. Quippe non paucos videas , qui aliud nihil , quam audiunt , in hoc senescunt , nec apti sunt , vel autorem profiteri , vel quicquam polite scribere queant. Si mentem exornare studes qua sola distamus à cæteris animantibus , perdiscenda omnia è toto disciplinarum orbe , quæ scitu digna judicas. Illi quorum major est cura corporis quam animi , ajunt pulchrum esse in una arte excellere , at pulchrius multo excellere in pluribus. Nullæ sunt fœminæ tam à Musis alienæ , quæ non unam discere queant : imo picas id efficere posse intra annos viginti , quos hæc hominum monstra uni studio impendunt , arbitror. Vt Fabii verbis utar , hi non per-
spi-

P R Æ F A T I O

spiciunt, quantum natura humani ingenii valeat, quæ ita est agilis ac velox, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum. Postremum est, ut mutes locum: alioqui & somnolentus, & imperitus semper permanebis. Nunquam me pœnituit (nec quenquam pœnituisse puto) quod literarum gratia in Academiam aliam transierim. Contra semper magno, & sero dolore apprehendi, me nimium diu in urbe una desedisse. Haud abjiciendus animus, licet non continuo ex sententia omnia successerint. Nihil enim videmus, nisi ex parvis principiis, ad summa rerum fastigia emergere. Habent omnia doctrinarum genera amari non-nihil, quod initio ingruentium pectus deterreat. Verum ipsum illud comes pensat utilitas. Proinde levi incommodo offensi non protinus resiliemus. Olim principes Græciæ vellus aureum per tot maria & pericula petatum, virtute duce, comite Fortuna, urgentibus acrioribus gloriæ stimulis, vexerunt: spirantes ignes, indomitos & rebelles tauros domuere: sopitum draconem occi-

AD LECTOREM.

cidere, satique dentibus obortam segetem illam militum, ut rueret in mutua vulnera, coëgere. Amazones dexteram mammam exurebant, quo plus alimenti ad manum vicinam perveniret. Democritus quum videret animi aciem impediri aspectu oculorum, ipsos sibi eruit, ut commodius rerum naturas mente comprehenderet. Hæc nos nonnihil accendere debent. Demus itaque operam omnes, ut aliorum exemplis excitati, dehinc summo labore ad majora enitamur. Luxus, fabulæ inanes, & muliebres animi linquantur mulieribus. * *Τῆς ἀπερὶς ἰδρωτὰ τοῦ σώματος ἐν ἡμέρᾳ.* Fingamus reliquum tempus abstulisse somnum, abstulisse pericula, abstulisse morbos. Sed tamen dolendum hæctenus florem ætatis sine fructu periisse, tempora nunquam reditura. Memoria quisque repetat omnia malorum genera ab ipso vitæ exordio: subeat recordatio quot dies quam frigidis rebus assumpserit, ut indignans dolensq; tot annos sine fruge abiisse, tanto majore furore grassetur. Valeat ignavia, valeat

** Virtuti sudorem Dii præposuerunt.*

P R Æ F A T I O

valeat cum ea iniqua fatorum series, quam nemo sapiens metuit: animus ubi ad gloriam virtutis via lævit abunde potens est, neque Fortunæ indiget. Vere etenim nobiles existimo, non qui funes aureos collo circumferunt, qui-que parietes & vestibula pictis majorum magistratibus ornant, sed qui veris ac suis bonis, hoc est, eruditione, moribus, eloquentia se suosque illustrare conantur. Pauci noverunt, quam certa ipsos solidaque maneat felicitas, qui ad hanc æternam sedem penetrare statuerunt. Fortunæ munera, ut regna, & urbes, & decor formæ pereunt: parta virtute ac labore fixa sunt. Hæc possessio non ferro, non flammis, non rapinis, non tempestatibus ullis obnoxia est. Sed finem facio. Breve spatium vitæ nostræ, per horas id dilabitur, ocyssime perit hora, (utinam isthæc ô formosa juvenia perspiceres, in te spes longe maxima est) cito dies, cito mensis, celeriter etiam annus, quum tamen parvus annorum numerus sit: ad hæc dimidium ævi aufert somnus, magnam partem convivia, lusus, morbi,

AD LECTOREM

bi, præposteri conatus: quoque durissimum, incerta morte Lachesis atrox omni momento immines: nisi summo studio temporis fructum quæramus, sine gloria pecudum more sumus morituri. Atque hæc sunt Lector Humanissime, de quibus te præmonere, mihi summè necessarium, tibi verò non omninò inutile duxi. Ex quibus liquidò satis patere arbitror: Eorum, qui juventutem hungaricam in studiorum decursu promovere possunt, me minimum esse, qui volunt, maximum. Quamobrem

*Vive, vale. Si quid novisti rectius istis;
Candidus imperti. Si non; his utere mecum.*

August.

*Ego ex eorum numero me esse profiteor
qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt.*

MAGYAR

AD DIRECTOR M.
The following is a list of the
names of the persons who have
been appointed to the various
committees of the Society for
the Promotion of Christian
Knowledge, and who are
now engaged in the
execution of their duties.
The names are arranged
in alphabetical order.
The names of the
persons who are
now engaged in the
execution of their
duties are marked
with an asterisk.

JOHANNES APACIUS

Veræ sapientiæ studioſo

LECTORI S.

QUO tibi Lector benevole, de novo hocce opere promptior sit juſte judicandi facultas, occaſionem, qualitatem & uſum illius e- ris mihi paucis monendus. Primum quod attinet eſt, quod quum decem retrò annis Claudiopoli literarum humaniorum gratia commorarer, præ aliſque Præceptore clariffimo doctiffimoque viro D. Andrea Portſalmio diligenter & aſſiduè uterer, contigit ſœpe numero ut Vir eximie & profunde doctus, in artium & ſcientiarum encomia longe lateque evagaretur, præclaraque raræ & reconditæ eruditionis ſuæ Monumenta (compendia videlicet diſciplinarum fere omnium à ſe confecta) familiariter aliquoties privatim oſtenderet, unaque ad ſimile cum tempore præſtandum candidè invitaret. Cujus diligentiam aliqua ex parte imitari volens multa ex ejus ſcriptis in

* 2

meum

P R Æ F A T I O

meum usū transcribere cœpi. Non multò verò post divinâ providentiâ Claudopolim Alba Juliâ permutans, postquâ bis tristia studiorū naufragia fecissem, tandem in consortium discipulorum Excellentissimi viri D. Johannis Henrici Bisterfeldii ascitus, Præceptorem quod ad disciplinarum amorem Præceptori similem reperi. Quem etiam tam publice quam privatim diligentissime magnoque conamine discipulis suis hæc verba inculcantem sæpius hisce meis audiavi auribus: *Sacram scripturam scil. sine mediocri Encyclopadia totius cognitione, neminem feliciter interpretari posse: Nihil utilius ad solidam eruditionem perveniendi, nullaq; via compendiosior, concatenata omnium rerum delineatione compendiisq; artium omnium memoriæ mandatis. Hæc quò profundius cordi infererentur nostro, altioresque in animis tenellis agerent radices, in ipsismet publicis lectionibus asseverare (& rectissimè quidem) non est veritus, se, decimo sexto atatis suæ anno universam Alstedii Encyclopadiam in Quarto (ut vocant) quod ad præcepta & regulas ad unguem*

AD LECTOREM.

guem tenuisse. Quid in aliis illius temporis auditoribus, vivum efficaxque hocce perluadendi argumentum effecerit, mihi non constat, ego certe diligentiae œstro percitus Alstedii Encyclopædiam magnam arripiens, quod ad præcepta usque ad Musicam ab Hexilogia incipiendo tempore quidem brevi, ingenti tamen corporis & animi fatigatione, descripsi. Non secus ac Julius Cæsar, qui cum in insulam Gades venisset animadversâ in Herculis templo Magni Alexandri imagine, ingemuit: pertæsusque ignaviam suam, quod nihil à se memorabile actum esset ea ætate, qua jam ille orbem terrarum domuisset, missionem continuò efflagitavit, ad captandas majorum rerum occasiones. Multum est exemplis majorum ad virtutem excitari. Postquam verò à Reverendissimo ac Clarissimo viro D. Stephano Gelei p. m. tunc Ecclesiæ Transsylvanicæ Superintendente de me optime merito, Ecclesiæ sumptibus instructus, atque ad majores in studiis progressus faciendos in Celeberrimæ Fœderati Belgii Academias mis-

P R Æ F A T I O

ius essem, tantorum Præceptorum mo-
 nita in memoriam revocans, ante o-
 mnia præcipuas præciparum artium
 definitiones & divisiones, doctiorum
 vestigia premens, ipsemet collegi, quo
 labore ad umbilicum perducto, Artem
 Artium nuncupavi. Postea solidiori fa-
 niorique Theologiæ litare volens, stu-
 dium linguæ Hebrææ, commendatio-
 ne quidem Clariss. doctissimique viri
 D. Benedicti Arkosi susceptum, sed
 Deo solo magistrisque mutis ducibus
 (nemo enim ea tempestate in Collegio
 Albeni sanctam illam linguam vel do-
 cebat vel discibat, ô tempora! tempo-
 ra!) aliquousque perductum, resumo,
 ac diligentius quam vulgus studioso-
 rum solet pertractans, animadverto,
 neminem in ea ad perfectionem nisi
 Chaldaicæ etiam, Syriacæ, Rabbinicæ,
 Talmudicæ, & Arabicæ quoque o-
 pem imploret, pervenire posse. Rapi-
 ergo impetus in has quoque, quibus
 discendis intentus in varios variarum
 nationum idiomatumque incido libros
 vernaculè scriptos, quos ego non sine
 summa diuturnaue admiratione vol-
vens

AD LECTOREM.

vens atque revolvens, experior non esse mirum, illas doctrina & eruditione nobis præcellere, quum materna lingua omnes disciplinas legant, tradant, doceant, & discant. Quà felicitatis parte num Itali, Galli, Angli, Belgæ & cæteri Occidentis populi, Orientalibus vel etiam omnibus sub cælo gentibus cedant, illorum esto judicium, qui vernacula istorum scripta, non per transennam modo sunt intuiti, sed ea legerunt ac identidem relegerunt. Verum ubi rerum testimonia adsunt quid opus est verbis? Nonne quotidiana experientia nos docet, ad nostratum utque pudorem, maximam in singulis istis virorum doctorum esse copiam? Cujus quidem non ultima imò prima omnium causa (nisi omnes me fallant sensus) sunt erudita omnis generis vernaculæ scripta eorum opera. Ut extra omnem controversiæ aleam sit ponendum, gentem, quæ omnia à peregrinis linguis mutuatur, infelicem maxime, omniumque miserrimam esse. Contraque, *Felices gentes quibus hæc nascuntur in hortis.* Sed quid attinet infausta Pa-

P R Æ F A T I O

triæ fata, lachrymabundis duntaxat e-
 minus spectare luminibus? Medela,
 medela quærenda est! Quum ædifi-
 cia quinque aut sex simul flagrant in-
 cendio, tum cursitant, in flammæ ru-
 nunt, ut aliquid igni eripiant: pars te-
 cta conscendunt, funduntque aquas,
 pars opes è domo rapiunt, nec ea tem-
 pestate magna somni aut ventris cura
 est. Hoc spectaculum in pectore no-
 ctes diesque versabatur, animumque
 tam acriter pungebat meum, ut sæpe
 soporem ab oculis depelleret, mentem
 à studiis averteret, cogitationesque in
 proprios Penates juvandi desiderio de-
 fingeret. Hinc in scribendo grassari, ex
 omnique scientiarum genere (prima
 pericula facere volens) aliquid, in Hun-
 garicum sermonem traducere cœpi.
 Sed quum maxima linguæ sterilitas ac
 nuditas in primo limine, se horridam
 conspiciendam præberet, à cœpto o-
 pere illico destiti, donec fato in Theo-
 dori Gazæ versionem historiæ anima-
 lium Aristotelis, & plantarum Theo-
 phrasti inciderim, qui in præfatione in
 libros de plantis sic ait: Adde etiam
 im-

AD LECTOREM.

imponendorum nominum aptam inventionem, quæ cum in interpretando persæpe necessaria sit, philosophia perfectò opus est: quæ natura perspecta, nomina nova quidem sed quod ad rectæ rationis iudicium pertinet, nullo minus reddat antiqua. Sunt enim nomina rebus imposita, quemadmodum placuit: *Et poni quotidie pariter licet.* nec tempus ullum excogitare futurum valeas, quo aut rerum inventio aut nominum impositio cesset. Non tamen id officium vulgo, cui temere omnia placent: sed philosopho certè homini rationum indagatori tribui debet, ut neque ratio desit nominum, & posita sint quemadmodum placuit: quanquam hac ratione potius quam illa placuerit. Et infra: Fit ergo & authorum, seu ignavia seu ignorantia, ut magna cum difficultate converti hæc possint in linguam latinam. (At mi Gaza quanto adhuc majore in hungaricam?) Verum non minus difficultatis, quinimò longe plus parit linguæ ipsius inopia. Minus hoc fortasse credibile latinis hominibus propterea dici videtur, quod M. Tul-

P R Æ F A T I O

lius, ne verbis quidem à græcis latinos superari autumat. Sed qui libros non solum latinos, sed græcos etiam pari studio lætitant, facile re ipsa persuaderentur M. Tullii sententiam incredibilem potius esse arbitrari. Quod equidem ut vere de me confitear, haud ita esse vehementissime vellem: minus enim in hisce interpretandis nunc elaborarem, si M. Tullius non ex minimis quibusdam, quæ fortasse latini melius habent, simplici quadam atque absoluta oratione cavillaretur, sed veram sententiam diceret. Nunc verò quam laborandum sit, non solum, ut privata quædam, & rari usus vocabula, sed etiam plæraque apud græcos usitatissima, & in promptu omnibus habita latine dicamus, vel hinc satis possit intelligi &c. Aggrediar igitur (inquit paulò post. idem) & partim plantarum nomina, quibus latina lingua non caret, diligenter pro viribus quæram: partim *nova rebus novis nomina imponam*, ubi id non inepte pro meo modulo facere possim, & ex fonte deducendo Græcorum, quoad liceat Latinorum succurram inopie,

AD LECTOREM.

opiæ. Nonnusquam etiam græcis utar, aut quia usitata latinis hominibus sint, aut quia proferri aliter nequeant. Hæc Gaza. Quibus ille immane! quantum fiducia, animositatis, ac securitatis cordi impressit meo, adeo ut quod illi, homini natione Græco, in Latina civitate non nefas modo fuisse, sed Latinis ipsis multum omnino profuisse animadvertim, hoc mihi in materna dialecto, non duntaxat licitum sed summe necessarium arbitratus sim. Quapropter quum firmiter apud me constituissem, non prius me moriturum, si D. O. M. vitæ meæ curriculum ad aliquot annorum decursus ac periodos extenderet progaretque, quàm Hungaris sermone hungarico omnes scientias communicarem, novum librum elaborare cœpi, quem ob objecti universalitatem Pansoptron vocavi, idque hoc fini ut in eo prius naturæ convenienter disponerem in tabulasque redigerem, ex melioris notæ auctoribus, res scitu maxime necessarias & ad vitam humanam utiles, ut postquam sic latine disposita essent, facilius inde in alium ac disciplinis prorsus

P R Æ F A T I O.

sus peregrinum sermonem Hungaricum derivare possem. Hisce rebus intentus tam insignem quam insperatam prorsus Reverendissimi, Clarissimi, Nobilissimique Viri, Domini Georgi Tisulai Ecclesiarum Orthodoxarum per universam Transsylvaniam Episcopi vigilantissimi, dignissimi, experior benevolentiam ac munificentiam, quâ sufficienti viatico instructus, ad illic patriam repetendum sollicitor. At me, cœli injuriæ autumnales, aliaque non exigui ponderis impedimenta, in exoticis adhuc oris, ut per hyemem subsisterem, nolentem atque invitum coegerunt. Quod cum tanto Patrono ingratum fore pro certo haberem, veritus ut in malevolorum susurra credula propendeat aure, non cessabam indefinenter cogitare, quid illud esset, quod jam negati itineris vicem compensaret, clarissimi mei Meccœnatis eximium erga me animum sartum tectumque conservaret, ac osorum irrisorumque ora maledica ex parte obturaret. Subitò animû subit compotem me voti non melius fore, quam si opusculo ad prælum præpara-

AD LECTOREM.

parato, tenacem me temporis curam, habuisse, de patriis laribus continuò cogitasse, debitæque gratitudinis symbolum exolvere cœpisse, omnibus manifestum facerem. Sed vehementer dolere incipit, in iis justo jam tempore deludasse, quorum editio ad finem scèrè vitæ rejecta sit. Atque ita dolore hocce quum propemodum tabesco, non sine magna Dei providentia Joachymum Fortium de studiorum ratione lego, ac tam generosi pectoris, excelsiq; ingenii admiratione allectus, virum pro rerum mearū modulo sequi firmiter statuo, illū solum esse qui ad solidæ eruditionis fastigiū perveniendi veram monstrârit viam, facilè mihi persuaderi sino. At verò hic quum totus in eo esset, ut posteros validis argumentis ad assidue scribendum, rem scilicet insuetis tædiosam admodum, incitaret, utile esseratur, editionem non diu suppressi. Non enim, inquit, displicet editionem premi, quo commendatior liber exeat. Mora tamen aliquid habet incommodi. Et nescio quam adfert superstitionem, dum dissimulat quædam, dum

rogari

P R Æ F A T I O

rogari vult, ne librum emittat. Quare animus qui grassari velit, nusquam patiens moræ sit. Expectent ita languido pectore ac pendula cervice homines, quibus satis est, si non omnino sunt imperiti, si ante finem vitæ quædam ediderint non minima cum laude. At imperator ille cujus virtus per omne ævum eminebit, novumne expectet annum? Quin potius orbem universum horæ interstitio unius sibi conabitur subjugare. Adde quod nonnulli majore cum gratia, decore, dignitate scribere quicquam cito possunt, quam alii tarde. Studiosus itaque hic sequatur quod videbitur melius. Sua cuique sententia. Verum tu qui summa petis, semper fuge moram. Plerique quicquid inveniunt apud Ciceronem, Fabium ac similes authores veteres in ore semper pro legibus habent. Hi & se ignorant homines esse, & judicio nullo rationis utuntur. Horatius voluit temere nihil vulgandum esse. Si quicquam tentaris proferre in lucem mediocri scriptum cura, quosunque videris, cantilenam eandem occinent, differri

AD LECTOREM.

